

*ibid.* Et generatim Synod. Trident. de filiis illegitimis Clericorum sic sanxit: *Ut paterna continentia memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere:* Sess. XXV. Ref. cap. 15. Porro ad nepotem legitimum ex illegitimo filio natum Trident. decretum haud extendendum et ratio suadet, et pluries S. Congreg. respondit apud Benedictum XIV. *de Synod. Dioces. Lib. XIII. cap. 24.* ubi sapientissimus Pontifex plures hac de re explicat quaestiones.

XIV. Jam verò satis non est canonicis expeditum esse impedimentis, qui ad beneficia adspirat, sed moribus, conversatione, fama, et litteris ita ornatus sit oportet, ut ad obeundum injuncti officii ministerium, et ad utilia Ecclesiae exhibenda obsequia aptus esse videatur. Unde ex communi Canonistarum sententia digniores prorsus ad Beneficia adsumendi sunt; ii scilicet, qui attentis omnibus adjunctis utiliores Ecclesiae futuri sperantur.

XV. Sed illud hic quaeritur, num beneficia dignis conferri possint, dignioribus posthabitis? Verum hac in re distinctione opus est inter beneficia curata, et non curata: haec enim posse idoneis duntaxat conferri, etiam dignioribus omissis, quamplurimum sanè Canonistarum opinio est. Quod tum ex pluribus evincitur, tum vel maximè ex *Cap. 29. de Praebend.* et ex Trident. *Sess. VII. Ref. cap. 3.* Porro sanioris doctrinae fama clarissimi tum plures ex Canonici Jurisperitis, tum ex Theologica facultate quamplurimi hoc tantummodo ad forum restringunt externum, contententes cum D. Thoma *Secunda Secundae Q. LXIII. art. 2. ad 3.* quantum ad conscientiam, omninò etiam ad beneficia simplicia, *neesse est eligere meliores, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune,* seligendos. Et sanè digniores ommittere praeterquamquod plerumque in detrimentum cadit Ecclesiae, vix, aut ne vix quidem personarum acceptionem adjunctam non habet, tam frequenter in sacris litteris reprobata: *Eccles. XLII. v. 1. Jacobi II. v. 1.* Qua de re Innocentius III. *Cap. unico: Ut Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur* sic respondet Archiep. Mediolanensi: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium, et beneficium in persona magis idonea dispensare.*

XVI. Curata verò Beneficia secundum justitiam internam dignioribus omnino conferenda esse, nullus sanè mentis dubitat: praesertim quum Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 1.* decreverit Ecclesiis nonnisi digniores praeficiendos; tum *cap. 18. ibid.* de Parochi electione haec habentur: *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit: atque illi, et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectavit eam conferre.* Denique Tridentini mentem dilucidius explicasse videtur Innocentius XI. proscribendo thesim. n. 47. *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium Primo videtur per hoc Digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumto comparativo pro positivo, vel Secundo locutione minus propria ponit Digniores, ut excludat Indignos, non vero Dignos, vel tandem loquitur Tertio quando fit concursus.*

XVII. Parochiae itaque, aliaque beneficia, quibus primario animarum cura adnexa est, etiamsi jurispatronatus sint Ecclesiastici, per concursum conferenda

omnino sunt, et quidem ad praescriptum Syn. Trident. *Decreto modo laudato,* quod Pius V. in *Constit. In conferendis,* Sacra Congregatio Concilii jussu Clementis XI. die 10. Jan. an. 1721. et Benedictus XIV. in *Constit. Quum illud* 68. tom. 1. *Bullarii* firmarunt, explicarunt, ampliarentque, data etiam dignioribus, si qui in collatione posthabiti fuerint, facultate adpellandi ab irrationabili judicio Episcopi, et examinatorum ad Metropolitanum, et Sedem Apostolicam; vel si Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Episcopum, tanquam Sedis Apostolicae delegatum.

XVIII. Illud hic non abs re erit observare, Sedem Apostolicam Parochias ad favorem certae personae in manibus R. Pontifici resignatas aliquando resignatario conferre consuevisse in forma *Dignum,* scilicet sine concursu, at tantummodo sub conditione, si idoneus ab Episcopo reperiatur in examine coram Synodalibus examinatorebus habendo. Nostro tamen in regno aliquot al hinc annis hujusmodi Pontificiis parochiarum collationibus regium placitum denegari consuevit: *Gagliard. ibid. n. 27. (\*\*)* In nostro verò Hispan. regno hujusmodi resignationibus locus non est ex *Concord. an. 1753.* Postremo non hic fas est silentio premere, quae circa Beneficiorum possessiones decrevit Syn. Tolet. an. 1582. *Act. III. Decr. 10. Pro receptione, vel admissione ad alicujus Praebendae, vel Beneficii possessionem aliquid solvi, quod inter ipsos Ecclesiae Beneficiatos dividatur, abusus est jam pridem sacris Canonibus, et nuper Sacrosancti Concilii Tridentini decreto damnatus. Eum ubicunque Episcopi agnoverint vigere, aboleri prorsus curent. (\*)*

## CAPUT VIGESSIMUM QUARTUM.

### DE RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS.

I. Nomine reservationis in Jure nostro Jus illud significatur, quo R. Pontifex suae dispositioni beneficia quaedam vacatura reservat, ordinariis collatoribus simul inhibens, quominus vacatione adveniente illa conferant, poena nullitatis adjecta: *Rebuffus in Praxi Part. I. Tit. de Reservat.* Reservationis quidem, et Adfectionis vocabula aliquando promiscua notione usurpata occurrunt: quum verò ex Reservatione profluat Adfectio, hinc quantum causam inter, et effectum, tantum inter unam, et alteram discriminis agnoscunt Canonistae.

II. Jam verò Reservationes aliae sunt Speciales, Generales aliae. Illae sunt, per quas certum aliquod determinatum beneficium Sedis Apostolicae arbitrio conferendum adscribitur. Hae verò sunt, per quas omnium certi alicujus ordinis beneficiorum, vel certi Regni, aut Nationis, Collationes Sedi Apostolicae reservantur. Reservationibus addesis *Mandata de providendo,* per quae Papa beneficium aliquod vacaturum alicui providendum mandabat; unde dicta quoque sunt *Exspectativa;* quod qui hujusmodi mandatum impetraret, habere Exspectativam dicebatur.

III. Tum Exspectatarum, tum Reservationum vix adparent vestigia ante medium saeculum XII. Primus enim Romanorum Pontificum Hadrianus IV. ab Episcopis, et Capitulis Dignitates, vel Praebendas postulasse videtur, quas bene de Ecclesia meritis elargiretur: *Epist. 10. 11. et 12.* At expressius loquitur *Epist. 24.* qua voces *mandamus,* et *praecipimus* ab Pontificibus hac in re primum adhibita occurrunt; *Universitati vestrae, inquit, praecipiendo per Apostolica scripta mandamus, et mandando praecipimus, quatenus Praeposituram, quae in Parisien-*

si Ecclesia, et domum, quae in claustro ejusdem Ecclesiae dehinc primum vacaverit, concedatis.

IV. Eodem jure frequentius usus est Alexander III. et qui eum secuti sunt Rom. Pontifices Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. atque in primis Innocentius IV. uti mox videbimus. Porrò hic observare juvat Alexandri III. aetate ejusmodi Pontificias epistolas nonnisi *preces, et mandata* exhibuisse; quibus quum aliquando Collatores non obsequerentur, has postea excipiebant litterae *exsecutoriales*, quibus ad exsequenda mandata auctoritate Apostolica, et interdum etiam per censuras, adigebant. Atque hinc triplex epistolarum genus emersit: scilicet *Monitoriae, Praeceptoriae, et Exsecutoriales*. Sedes quidem Apostolica nullum jus sibi vindicavit in collatione beneficiorum jurispatronatus laicalis: ubi tamen com- patroni discordes alium alii praesentaverint, eorumque vota in duos ex aequo dividerentur, vel in unum consentientia saltem aequarent medietatem ipsorum, consuevit beneficium ei conferre, qui ad ipsam cito recurrens, *se intra legitima tempora praesentatum a majori parte, vel saltem medietate patronorum adsereret*. Verum ex Regio Rescripto die 1. Augusti 1759. Bullis Pontificiis hoc intuitu beneficia laicalia conferentibus regium placitum non impertitur; ea quidem ratione, quod Episcoporum jus sit ejusmodi de vocum numero, meritisque praesentatorum controversias cognoscere: Gagliardus *ibid. Cap. V. n. 71.*

V. Jam verò hac in re plura constant: 1. R. Pontifices primum nonnisi propriis, et honestis clericis, atque iis potissimum, qui omni Ecclesiastico beneficio destituti, vix unde viverent habebant, ejusmodi Mandata ad Episcopos dedisse. Hinc frequentes in Epistolis, praesertim Innocentii III. illae clausulae: *Quum reditus sufficientes non habeat: Quum necessitatibus pauperum Clericorum Sedes Apostolica duxerit succurrendum*. Unde idem Rom. Pontifex *Cap. 27. de Rescriptis* ab Episcopo Uratisimensi consultus, num Clerico, cui Vicariae perpetuae proventus congrua alimenta suppeditabant, ex Apost. Sedis Mandato in Ecclesiastico beneficio providere teneretur; respondet non esse providendum, *quum per formam praedictam, necessitatibus pauperum Clericorum (qui nullum sunt Ecclesiasticum beneficium adsecuti) Sedes Apostolica duxerit succurrendum*. Et *Epist. ad Bracar. Archiepiscopum Cap. 13. de Aetate, et qualitate &c. Quum et si tecum, inquit, de jure agere vellems, te possemus merito ad provisionem eorum compellere, quos a te, vel praedecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret*.

2. R. Pontifices haud consuevisse plurium Mandatorum onus iisdem Ecclesiis imponere; unde illa quoque clausula nonnunquam adhibita reperitur: *Nisi de mandato nostro eadem Ecclesia foret in alterius receptione gravata: Cap. 2. 30. et 38. in V. Compilatione Cironii*.

3. Hujusmodi Mandata tempore progrediente frequentiora evasisse: quomobrem iisdem saepe, importunis postulationibus à Pontificibus extortis, Ordinarii obtemperare detrectabant. Hoc innunt frequentes litterae Exsecutoriales, quibus ad Ordinarios compellendos uti oportuit. Adhæc quum Legati Honorii III. in Anglia, et in Gallia duas à singulis Cathedralibus Præbendas peterent, hujusmodi Pontificia postulata nullum apud Episcopos pondus habuisse scribit Matth. Paris. *Tit. XI. Conc. col. 303.*

4. Denique eos, qui expectativas consequerentur, beneficia jurispatronatus laicalis, atque adeo etiam Episcopatus tam avide arripere coepisse, ut Mandata illa non complecti beneficia patronata declarare Gregorius IX. *Epist. 14. et 15. coactus fuerit*. Huic decreto deinde Innocentius IV. aliud addidit, scilicet neque Episcopatus, neque alia beneficia majora inter mandata illa comprehendit: Espe-

nus *Part. II. Tit. XXIII. cap. 1. n. 21. et 32. (\*\*)* Verum Patroni etiam gratias concedere expectativas ausi sunt, putantes forsitan idem sibi in laici Patronatus Beneficiis licere, ac in liberæ collationis, Romano Pontifici. Abusionem hanc radicatus evellere constituens Syn. Vallis-olet. *Cap. XV. statuimus, ait, ut nulli Ecclesiarum Patroni ad Ecclesias, in quibus Juspatronatus obtinent, antequam vacent, cuiquam litteras praesentationis concedant; quas si forte concesserint, eo ipso irrita sint penitus, et inanes. Clerici vero, qui hujusmodi litteras praesentationis impetrant, vel pro quibus ipsis scientibus, et consentientibus ab alio impetrantur, ad Ecclesias ipsas obtinendas in ipsa vocatione reddantur inhabiles ipso facto*. Non ideo tamen Patronorum audacia cohibita est, uti colligitur ex Synod. Arand. an. 1473. *Cap. XVIII.* quae huic abusioni penitus extinguenda manum etiam adplicuit. (\*)

VI. Mandata de providendo locum dedisse Reservationibus specialibus, atque has generalibus observant Canonistae. Scilicet facile persuasum est Pontificibus, quod si jus sibi esset mandandi Collatoribus, ut primo vacaturum beneficium certis à se electis Clericis conferrent, non minus sibi ea inesset facultas, ut propriae suae collationi primo vacaturum beneficium reservarent. Et quandoquidem non esset potius jus unius beneficii reservandi, quam alterius, eodem jure, quo sibi reservabant collationem unius, posse etiam reservare cogitabant collationem duorum, trium, quatuor &c.

VII. Praeterea medio saeculo XIII. opinio illa jam induci coepit, quod *Ecclesiarum personatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad R. Pontificem* pertinebat: Clemens III. alias IV. in *Cap. 2. de Praebendis in VI.* Id quod postea qui secuti sunt Pontifices, et praesertim Clemens VI. expressius edixere: *Ad cujus Pastorem, scribit Clemens VI. Epist. ad Eduardum Regem Angliae apud Raynaldum ad an. 1343. et Rectorem Ecclesiae, videlicet R. Pontificem, omnium Ecclesiarum, Dignitatum, Personatum, et Officiorum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere*. Denique R. Pontifices suarum reservationum novitatem eo nomine, veluti lineabant, scilicet quod ipsis maximè cordi esset, ut ad regendas Ecclesias *viri adsumantur idonei, qui praesint, et prosint*: Extravag. inter Comm. *Ad regimen de Praebendis. (\*\*)* Unde eo ventum est, ut apud nonnullos hoc circumferretur, veluti Canonici Juris principium: *Papa est Dominus omnium Beneficiorum*. Ita Maraldi in responsione ad libellum supplicem Philippi IV. Hispaniarum Reg. an. 1633. *Cap. VII. de quo sup. Tit. XXII. (\*)*

VIII. Porrò nunquam defuerunt, qui huic novitati, evulgatis etiam libellis, refragarentur. Eorum querellae esse potissimum erant, quod sacrorum canonum praescripto, fundatorum intentioni, atque adeo Ecclesiasticae Hierarchiae divinitus instituta nihil magis consonum esset, quam ut singulis Episcopis integra servaretur beneficiorum suarum Diocesium collatio. His addebant, quod facilius, et certius Episcopis, quam Pontifici notum erat, num quis dignus, qui promoveretur, censendus esset; atque hinc esse ajebant, quod olim semper Episcopi audierint legitimum beneficiorum collatores. Tandem ex Reservationibus haud levia frequenter mala oriri conquerebantur, diuturnas praesertim, ac dispendiosas lites non sine gravi fidelium pernicie, et scandalo. Episcopus Gallicanus Anonymus apud Raynaldum *ad an. 1311. Episcopi Galliae in Conventu apud Melodunum an. 1548. apud Baluzium Miscellan. Tom. VII. pag. 105. Espenceus Comm. Ep. ad Titum cap. 1. Durandus Mimatensis de ordine celebrandi Concilii Generalis, Gersonius de Reform. Eccles. cap. 23. aliique; (\*\*)* inter quos praecipue nominandi sunt

Patres Concilii Constantiensis *Sess. XL.* habita die 30. Octobris an. 1417. in qua proposita inter capitula ab eligendo Pontifice reformanda, secundum numero est: *De Reservationibus Sedis Apostolicæ. (\*)*

IX. Hactenus dictis additis querelæ, quas per suos legatos ad Innocentium IV. transmisere, tum Ludovicus IX. Rex Galliarum, omnesque ejusdem Regni Barones, Proceres, et Magnates, tum etiam Magnates, et Universitas Regni Angliæ, quorum Epistola in Concil. Lugdun. publice lecta est: *Tom. XI. Conc. Gen. col. 663.* Porrò ex oratione Legatorum Regni Galliarum illud constat, Mandata, et Reservationes sub Innocentio IV. mirum in modum invaluisse: *Item gravantur, inquit, Ecclesiæ in collatione beneficiorum, et prebendarum multarum. . . . Omnes prædecessores vestri, ut publice dicitur, non dederunt tot beneficia, quot vos solus dedistis isto modico tempore, quo existit Ecclesiam Dei:* Eduardus Braun in *Appendice ad Ortuinum Gratium pag. 238.*

X. Demum quum Avenionense schisma Ecclesiæ sinum turpiter laceraret, mirum quantum R. Pontifices, ut de suis bene quisque fautoribus mereretur, jus reservationum, et expectatarum ampliare sategerint. At experientia docemur, quum nimium abusiones creverint, tunc sane ad ipsas extirpandas animam excitari; hinc primum in Conciliis Constantiensi, et Basileensi, dein et in Synodo Tridentina de Expectativis, et Reservationibus abolendis, vel saltem temperandis agi cœptum est: præsertim quum ordinarii beneficiorum collatores de iisdem graviter conquererentur. Verum illud duntaxat in Synodo Constantiensi præstitum fuisse legimus, quod Martinus V. in eadem Synodo electus quatuor menses liberos ad expectativis esse voluerit. At Synodus Basileensis non modo Expectativas, verum et omnes cujuscunque generis reservationes abolevit: *Reservationibus in Corpore juris expresse clausis, et his, quas in terris R. Ecclesiæ ratione directi, seu utilis domini mediate, vel immediate, subjectis fieri contigerit, duntaxat exceptis.* Quum verò non obique Decreta Basileensia recepta fuerint; hinc Reservationum usus vix, aut ne vix quidem à pristino statu declinavit.

XI. Deinde in Synodo Trident. serio eadem de re actum est: præverat quidem Conventus delectorum Prælatorum sub Paulo III. quorum sententia de hoc capite sic se habet: *Alius abusus est in Expectativis, et Reservationibus beneficiorum, quibus et datur occasio, ut aliena mors desideretur, et libenter audiat. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus; dum vacant, dant litibus causam. Omnes has putamus tollendas.* Tum in ipsa Synodo novæ auditis sunt eadem de re Catholicorum Principum querelæ. Qua de re *Sess. XXIV. Reform. cap. 19.* Expectativæ, Reservationes mentales, et aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura prorsus abolitæ sunt.

XII. Eadem Trid. Synodus Reservationibus sic proprie dictis, scilicet *clausis in Corpore juris, Extravagantibus, et Regulis Cancellariæ* nihil immutandum dedit. Qua de re in plerisque Ecclesiis adhuc vigent, certis tamen circumscriptæ conditionibus, et juxta peculiare Ecclesiarum leges, consuetudines, vel concordata. Præstat igitur hic de variis Reservationum speciebus adposite ad jus Neap. pauca subnectere.

XIII. Reservationes sive generales, sive particulares triplicis sunt generis. Aliæ dicuntur clausæ in Corpore juris, aliæ continentur in Regulis Cancellariæ, aliæ demum exhibent posteriores Pontificum Constitutiones. Præcipua in Corpore juris clausa Reservatio ea est, per quam beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia R. Pontifex confert. Hujusmodi Reservationem primum omnium jure scripto induxit Clemens IV. *Cap. 2. de Præbendis in VI.*

XIV. Hujusmodi Reservationem Bonifacius VIII. non solum ad Beneficia extendit, quæ Legati, aut Nuntii Sedis Apostolicæ possederint, aut quicumque ad R. Curiam venientes, vel ab ea recedentes, si in locis ipsi Curia finitimis eos mori contigerit; verum et ad Beneficia Curialium, sive in Curia, sive in locis Curia vicinis mortem obierint, etiamsi Curia de loco in locum transferatur: *Cap. 31. de Præbendis in VI.* Tum *ibid.* loca Curia vicina ea intelligenda edixit, quæ ultra duas dietas legales à loco, ubi moratur ipsa Curia, non distant.

XV. Quod verò in eadem hac Decretali Bonifacius VIII. tantummodo de vacatione per obitum loquatur, hinc alicubi, ac præsertim in Gallia sola beneficia vacantia per obitum in Curia, vel in locis Curia vicinis habentur pro reservatis reservatione clausa in Corpore juris. Jure quoque Neapolitano ex Regio Diplomate die 2. Octobris an. 1751. unica canonice reservatio, sive vacatio apud Curiam beneficia tantummodo ob naturalem beneficiarii mortem vacantia complectitur, nec extendenda ad ejusdem ad aliud beneficium translationem: Gagliardus *Tract. de Benef. Cap. V. num. 52.*

XVI. Porrò hac in re duo omnino observanda occurrunt: 1. Beneficia, quæ in Curia vacaverint, ubi Pontifex intra mensem à die vacationis non contulerit, jus collationis ad Ordinarium revertitur, qui tamen vel per se ipsum, vel per suos Vicarios generales, quibus id canonice fuerit commissum, ea conferre tenetur: *Greg. X. Cap. 3. de Præbendis in VI.* Quinimmo si Ordinarius intra mensem beneficium providerit, quod Pontifex elapso mense non conferat, Ordinarii collatio sustinetur; tum quod Ordinarius Pontificem non prævenit, sed jure utitur primitivo, tum vel maxime quod Reservationis materia, quippe quæ, ut ajunt, odiosa, strictam postulat interpretationem.

2. Ecclesiæ Parochiales, quæ vel defuncto Pontifice in Curia vacaverint, vel licet prius vacatæ, eodem tamen in vivis agente, collatæ non sunt, rectè à locorum Ordinariis conferuntur: et quidem *ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus adferre:* *Cap. 35. ibid. in VI.*

3. Demum Beneficia etiam Ecclesiastica, sive expresse, sive tacite in fundatione constituta ab reservationibus immunita, ejusmodi semper sunt habenda: *Reg. Diploma die 2. Octobris an. 1751. Gagliardus ibid. Cap. V. n. ult.*

XVII. His addendæ duæ aliæ Reservationes, quæ ex nonnullorum sententia inter reservationes clausas in Corpore juris etiam recensendæ; quippe quæ existunt in Extravagantibus communibus, quæ Corpori juris Canonici solent adnecti, ejusque partem constituunt. Prior habetur in Extrav. inter Comm. *Execrabilis de Præbendis*, per quam beneficia vacantia per retentionem alterius beneficii incompatibilis à Joanne XXII. Sedi Apostolicæ conferenda reservantur. Alteram exhibet Extrav. inter Comm. *Ad regimen de Præbendis*, per quam Benedictus XII. non modo superiora confirmavit, sed et Sedi Apostolicæ reservavit omnia beneficia vacantia per adsecutionem Episcopalis dignitatis, aut alterius incompatibilis beneficii à S. Sede, vel per depositionem, et privationem ab eadem factam, vel renuntiationem admissam; tum et quæ vacant per obitum Cardinalium, Legatorum, seu Nuntiorum Sedis Apostolicæ, et aliorum ejusdem Sedis Officialium, et Curialium, qui in eadem Extrav. nimis exacte recensentur. Quum autem R. Curia nimis facilè Breves expedire consueverit, quibus Protonotariorum, et Solio Pontificio adsistentium honorifica jura impartirentur; atque hac causa beneficia, quæ per horum obitum vacarent, Sedi Apostolicæ reservata contenderet; hinc primum Regio Rescripto die 26. Novembris an. 1750. ejusmodi Protonotariorum privilegiis non nisi quoad jura honorifica *regium exsequatur* impartendum decretum

est: tum et alio Rescripto die 30. Julii an. 1751. statutum, ut ubi honorifici illi Sedis Apostolicæ Officiales extra Curiam, et ultra duas ab ea dietas in mensibus non reservatis mortem oppetant, beneficia ipsorum ab ordinariis collatoribus conferantur, regiumque placitum denegetur Pontificiis collationibus, quæ ob ejusmodi vacationem, adfectionemque in Curia fiant: Gagliardus *Tractat. de Beneficiis Cap. V. n. 53.*

XVIII. Hasce expositas reservationes, licet ex Extravagantibus depromtas, attamen non habendas ceu clausas in Corpore juris, communis pæne est Canonistarum sententia. Quamvis enim usus invaluit, ut Extravagantes, tam Joannitarum, quam Communes Corpori juris adnecterentur, ad illud tamen proprie non spectant: unde nomen Extravagantium adhuc retinent. Præterea Reservationes illæ, tanquam ad tempus inductæ, in dictis Extravagantibus exhibentur. Benedictus XII. in sua Extrav. sic loquitur: *Reservamus.... donec miserationis divina clementia nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere concesserit.*

XIX. De Regulis Cancellariæ satis in Diatriba Isagogica: tantummodo hic præcipuas, quas illæ complectuntur, reservationes paucis dabimus.

Regula I. confirmat modo expositas Reservationes, scilicet, *Cap. Ad Regimen,* et *Cap. Execrabilis:* tum easdem extendit ad beneficia Curialium, etiam dimissis Curie Officiis, tum et ad omnia beneficia, quæ contra Decreta Tridentina collata fuerint.

Regula II. reservantur Cathedralis omnes, et Monasteria majoris redditus, quam 200. florenorum auri, et omnia beneficia, quæ vacant Sede Episcopali quovis pacto vacante. Floreni 200. summam exhibent circiter ducatorum Neap. 430. (\*\*) et Hispanorum 399. (\*) Porrò in hac regula non comprehenduntur Abbatie Monachorum triennales, aliæque Regularium Dignitates, et Præposituræ; in quibus conferendis integra Capitulis generalibus libertas est: uti novissime edixit Benedictus XIV. in Epistola ad Carolum Borbonium Utr. Siciliæ Regem die 7. Octobris an. 1741. cujus exemplum die 28. ejusdem mensis ad Curiam Capellani Majoris transmissum est. Optimus namque Rex ad postulata Minimorum per Card. Aquavivam, suum apud Sedem Apostolicam Legatum sapientissimo Pontifici exposuerat, se libenter Capitulis Regularium libertatem in Electionibus tueri: Gagliardus *ibid. Cap. V. n. 38.* Tum eadem Regula, neque Ecclesiæ, et Dignitates Regiæ collationis reservatæ censendæ sunt, quales in Regno Neap. sunt Archiepresbyteralis Altimurana, Prioralis S. Nicolai Bariensis, Abbatialis Altævillæ: Gagliardus *ibid. n. 39.*

Regula III. reservantur beneficia in fraudem reservationis ab iis resignata, vel dimissa, qui pacificam mox incompatibilium possessionem sint adepturi: tum et ipsa incompatibilia, quæ postea auctoritate Apostolica iidem consequuntur. Fraudis indicium est vacatio beneficii incompatibilis, ad quod resignans adspiraverit.

Regula IV. reservantur primariæ omnes dignitates post Pontificales, sive Cathedralium, sive Collegiatarum, quæ tamen summam decem florenorum auri excedant: decem floreni summam conflant ducatorum Neapolit. circiter 22. (\*\*) et Hispanorum circiter 21. (\*) Tum et beneficia eorum, qui Cardinalibus familiares certi convivæ sint, vel aliquando fuerint, Cardinalibus ipsis jam defunctis. In Regno Neap. receptitias mavult Ecclesias Regia Potestas, quum Placitum suum denegat novis Collegiatarum erectionibus ab Sede Apost. impetratis: Gagliardus *ibid. n. 41.*

Regula V. reservat omnia beneficia, quæ Collectores, et Sub-collectores proventuum ad Cameram Apostolicam spectantium in ipso munere persistentes, vel

actu possederint, vel in quibus, seu ad quæ jus habuerint. In Regno Neap. Collectoris munere fungitur Nuntius Apostolicus, qui ex Sacræ Congr. præscripto singulis Diocæsis, locisque exemptis singulos, duos, vel tres constituit Sub-collectores, scilicet pro majori, vel minori Diocæsum latitudinem.

Regula VI. reservat omnia beneficia Curialium decedentium in itinere, dum Curia transfertur.

Regula VII. omnia beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, et Cursorum Pontificis. Jus Neap. de Protonotariis honorificis modo indicatum ad Cubicularios etiam honoris transferas.

Regula VIII. omnia beneficia Ecclesiarum S. Jo. Laterani, S. Petri, et S. Mariæ Majoris; tum et beneficia, quæ in Ecclesiis Cardinalium utularibus, ipsis absentibus vacaverint.

Regula IX. omnia beneficia, quæ ubique vacaverint in octo mensibus; scilicet Januario, Febuario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, Novembri. Porrò in gratiam, et remunerationem eorum Episcoporum, qui in suis Ecclesiis resident, eo quidem tempore, quo resident, sex mensibus liberam illis collationem Pius V. indulisit, ita ut alternis mensibus cum Summo Pontifice, qui primo mense, scilicet Januario, conferre incipiet, collationem partiantur; iis tamen beneficiis exceptis, quorum collatio ex aliis Capitibus ad Summum Pontificem pertineat. Hanc alternativam non cuivis inferiori collatori, sed tantummodo Episcopis, qui eam petierint, R. Pontifex elargitur. Quinimmo quotiescunque novus eligitur Pontifex, iterum petenda est: Rigantius *P. II. Reg. IX. §. 1. n. 8. et 9.*

XX. Episcopi verò Cardinalatus honore insigniti ex venia R. Pontificis facultatem habent, ut beneficia in quibuslibet mensibus vacantia conferant, iis dumtaxat exceptis, quæ duplici reservationi cœquali sunt obnoxia, ex Constit. Clementis VIII. quæ incipit *Quavis.* Porrò quum ex *Constit. LIX. Urbani VIII.* opinio invaluerit Cardinales Episcopos in mensibus apostolicis non solum ordinario, verum et delegato jure beneficia conferre; hinc usus quoque obtinuit, ut in hujusmodi collationibus Apostolicæ litteræ novæ provisionis intra quatuor menses impetrandæ sint, solutis de more taxationibus, quum beneficii proventus summam ducatorum 24. auri de Camera excedant. Hæc praxis usu primum inducta, dein et à R. Pontificibus in singulis indultis imponi solet, ac novissime à Benedicto XIV. *Constit.* Quum sicut accepimus *tom. I. Bullarii* sancita est.

XXI. Postremo Beneficia quod spectat, Constitutionibus Tridentino posterioribus reservata, ea profecto sunt 1. quæ vacant propter hæresim: ex Bulla Pii V. *Ex Apostolatus officio.* 2. Quæ contracta fiducia, seu ut dicitur *in confidentiam* recipiuntur: ex Bulla *R. Pontificem* ejusdem Pii V. 3. Parochiæ non collatæ per concursum ad normam Tridentini: ex Bulla *In conferendis* ejusdem Pontificis. 4. Beneficia vacantia ex resignatione, in qua observatum non fuerit præscriptum Gregorii XIII. in Bulla *Humano vix judicio.* 5. Demum beneficia vacantia ob non delationem habitus, et Tonsuræ Clericalis: ex Bullis Sixti V. et Benedicti XIII.

(\*\*) XXII. Ad Hispanias quantum attinet, omnia minora liberæ collationis Beneficia, quæ in octo in Regula IX. recensitis mensibus vacabant, R. Pontifici conferenda servata erant; Dignitates videlicet, Canonicatus, Portiones, Personatus, Abbatie, Prioratus, et his similia, his exceptis, quæ in Regnis Granatensi, et Indiarum instituta sunt, quorum præsentatio ad Hispaniarum Reges semper pertinuit; id quod agnovit Benedictus XIV. in Bulla die 9. Junii an. 1753. edita *in Concord. confirm. (\*)*

(\*\*) XXIII. Diuturnus hic Reservationis usus plures Hispanæ Gentis exci-  
tavit querimonias, quibus in Comitibus anni 1630. supplicii libello ad Philippum IV.  
exhibitis *Cap. VII.* idem Rex disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ studio inar-  
descens, Legatos misit ad Urbanum VIII. Videsis *Tit. XXII. hujus Lib.* Nihilominus  
Reservationum usus extinctus non est donec an. 1753. inito Concordato  
Benedictum XIV. inter, et Ferdinandum VI. Apostolica Sedes universo Benefi-  
ciorum Hispaniæ Patronatu sponte cessit, et in Catholicum Regem transtulit,  
quinquaginta duobus duntaxat reservatis, scilicet, in Ecclesia Cathedrali Abulen-  
si *Archidiaconatus de Arevalo.* In Auriensi *Archidiaconatus de Búbal.* In Bar-  
cinonensi *Prioratus quondam Regularis, nunc Secularis Ecclesiæ Collegiatus S.*  
*Anne.* In Metropolitana Burgensi *Dignitas Scholastici, et Archidiaconatus de*  
*Palenzuela.* In Cathedrali Calagurritana *Archidiaconatus de Naxera, et digni-*  
*tas Thesaurarii.* In Carthaginiensi *Dignitas Scholastici, et in Diœcesi Benefi-*  
*cium Simplex de Albacete.* In Metropolitana Cæsaraugustana *Archipresbytera-*  
*tus de Darqca, et Archipresbyteratus de Belchile.* In Civitatensi *Dignitas Scho-*  
*lastici.* In Metropolitana Compostellana *Archidiaconatus de la Reyna, Archidia-*  
*conatus de S. Tesia, et Dignitas Thesaurarii.* In Cathedrali Conchensi *Archidia-*  
*conatus de Alarcon, et Dignitas Thesaurarii.* In Cordubensi *Archidiaconatus*  
*de Castro.* In eadem Diœcesi *Beneficium Simplex de Villalcazar, et Præs-*  
*timonium de Castro, et Espejo.* In Cathedrali Dertusensi *Dignitas Sacristæ, et*  
*Hospitalariatus.* In Gerundensi *Archidiaconatus de Ampurdam.* In Giennensi  
*Archidiaconatus de Baeza.* In ejus Diœcesi *Beneficium Simplex de Arjonilla.*  
In Ilerdensi *Dignitas Præceptoris.* In Metropolitana Hispalensi *Archidiacona-*  
*tus de Xerez.* In Archidiœcesi *Beneficium Simplex de la Puebla de Guzman, et*  
loco Præstimonii *S. Crucis de Astigi, alter ex tribus Beneficiis S. Mariæ de Al-*  
*calá la Real.* In Cathedrali Majoricensi *Dignitas Præceptoris, et Dignitas Præ-*  
*positi S. Antonii de S. Antonio Viennensi.* Nullius in Provincia Toletana *alter*  
*ex tribus Beneficiis S. Mariæ de Alcalá la Real.* In Diœcesi Oriolana *Beneficium*  
*Simplex S. Mariæ de Elche.* In Cathedrali Oscensi *Dignitas Cantoris.* In Ove-  
tensi quoque *Dignitas Cantoris.* In Oxomensis *Dignitas Scholastici, et Abbatia*  
*S. Bartholomæi.* In Pampilonensi *Hospitalariatus olim Regularis, nunc Com-*  
*mendatus, et Dignitas Præceptoris Generalis de Olite.* In Palentina *Archidia-*  
*conatus de Medellin, et Archidiaconatus de Truxillo.* In Salmantina *Archidia-*  
*conatus de Montleon.* In Seguntina *Dignitas Thesaurarii, et Abbatia S. Colo-*  
*ma.* In Metropolitana Tarraconensi *Prioratus.* In Cathedrali Turiasonensi *Dig-*  
*nitas Thesaurarii.* In Primatiali Toletana *Dignitas Thesaurarii.* In Archidiœ-  
cesi *Beneficium Simplex de Ballecas.* In Diœcesi Tudensi *Beneficium Simplex*  
*S. Martini del Rosal.* In Metropolitana Valentina *Dignitas Sacristæ Majoris.*  
In Cathedrali Urgellensi *Archidiaconatus de Andorra.* In Zamorensi *Archidia-*  
*conatus de Toro.* (\*)

XXIV. De jure Præventionis juvat hic pauca subnectere. Jus igitur Præven-  
tionis illud est, quo Papa Ordinarium collatorem præveniens beneficium ad ejus  
collationem spectans alicui elargitur. Hujusmodi jus licet eodem fundamento in-  
nitatur, ac Mandata de providendo, multo tamen his recentius est: vix enim in VI.  
Decretalium ejus vestigia occurrunt. Quum vero paulo post nimium invaluisset,  
atque adeo frequentissimæ ad præveniendum Ordinarios in Curia committerentur  
fraudes: hinc primum à Joanne XXII. Regula Cancellariæ *De verisimili notitia*  
evulgata est, qua decernitur irritas habendas quascunque Pontificis jure præven-  
tionis collationes, nisi à die mortis beneficiarii tantum spatium effluerit, ut pro-

babile sit de ea certiorum Pontificem fieri potuisse: eo die, quo libellus Romam ve-  
nit. Eadem poena locum quoque habet, ubi compertum sit, ante mortem nun-  
tium Romam adpulisse, quod *cursum* vocant *ambitiosum.* Porro non est cur am-  
plius hæc in re immoremur. Namque divisione mensium inter Sedem Apostoli-  
cam, et Ordinarios, jus illud Præventionis pæne abolitum est. Per illam enim  
Pontifex tacite quodammodo edixisse videtur, ut Ordinariis in suis mensibus libe-  
ra esset beneficiorum collatio.

## CAPUT VIGESSIMUM QUINTUM.

## DE INSTITUTIONIBUS, ET JURE PATRONATUS.

I. Legitimus aliquando Collator beneficium conferre adstringitur juxta alte-  
rius electionem, ubi sanè provisio non collatio, sed institutio dici consuevit. Jus  
nominandi, vel præsentandi, aut ex jure communi descendit, ut *Patronatus,* aut  
ex privilegio, ut nominationes Regum, aliorumque Principum, (\*\*) et Procerum.  
Excipe Hispaniarum Reges, qui non ex privilegio tantum, sed aliis etiam incon-  
cussis titulis jus obtinent præsentandi: *Leg. I. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* (\*)  
De his satis alibi de Patronatu scribitur, ipsi adnexis hic pauca. (1)

II. Juris patronatus natura in eo est, scilicet ut Patronus facultatem habeat  
idoneum Clericum nominandi, ab Episcopo, aliove Ordinario in Ecclesia, vel Be-  
neficio instituendum, ac simul juribus quibusdam perfruatur, partim honorificis,  
partim utilibus, partim onerosis. Originem quod spectat, profecto licet *Patroni,*  
et *Patronatus* vocabula antiqua non sint, rei tamen ipsius haud obscura vestigia  
habentur jam inde ab antiquissimis temporibus. Et quidem sæculo IV. vergen-  
te, vel saltem V. ineunte nomina, et elogias Fundatorum in Ecclesiis ab ipsis ædi-  
ficatis fuisse inscripta testis est S. Paulinus Nolanus *Epist. 10. et 12.* Uti quo-  
que Basilicæ aliquando à suis Fundatoribus nomen, sive titulum mutuatae sunt:  
eujusmodi sanè est *Basilica Constantiniana, Titulus Damasi, Lucine, Fas-*  
*ciolæ &c.*

III. At primum an. 441. *Can. X. Arausicano* occurrit jus Episcopo in alieno  
territorio Ecclesiam ædificantem concessum, ut Clericos in eadem Ecclesia consti-  
tuat, (\*\*) et ordinet, quos si re ipsa ordinati jam sint, ab Episcopo territorii non  
repellantur. (\*) Idem juris dein et laicis tributum est, namque tum *ex Leg.*  
*XLVI. Cod. de Episcopis, et Clericis,* tum ex Justiniani Novell. *LVII. cap. 2.*  
*CXXIII. cap. 18.* aliisque constat Ecclesiarum, Monasteriorum, et Xenodochio-  
rum fundatores facultatem habuisse, ut eorundem Administratores, Præfectos, et  
Presbyteros designarent: id ipsum Iulientius sancitum occurrit in Concilio Tole-  
tano IX. *Can. II. (\*\*)* Tenere non possumus, quin ejusdem Canonis promamus  
litteram: *Decernimus, ait, ut quædam eorum fundatores Ecclesiarum in hac*  
*vita superstites existierint, pro eisdem locis curam permittantur habere solici-*  
*tam, et sollicitudinem ferre præcipuam, atque Rectores idoneos in eisdem Basili-*  
*cis eisdem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quod si tales forsitan non in-*  
*veniuntur ab eis, tunc quos Episcopus libet probaverit Deo placidos, sacris cultibus*  
*instituat cum eorum continentis servituros. Quod si spreto eisdem fundatori-*  
*bus, Rectores ibidem presumerit Episcopus ordinare, et ordinationem suam ir-*  
*ritam (hæc est nominationem) noverit esse, et ad verecundiam sui, alios in eorum*  
*(1) Vide notam VIII in hunc tractatum.*